

NICOLAUS II PAPA.

NOTITIA HISTORICA.

(CIACONIUS, *De Vitis Romanorum pontificum*, pag. 312.)

Benedicto antipapa sedem Romanam occupante, a filiebrandus ex Germania rediens, Senas Tuscorum accedens, quod Romæ iusto pontificalia comitia haberi nequirent, libertate ecclesiastica a Benedicti satellitibus oppressa, omnes ad se per litteras cardinales et nobiles Romanos secum sentientes convocavit, quorum suffragiis Gerardus Allobrox cognomento, Burgundio episcopus Florentinus, ob virtutem et animi præstantiam, Benedicto adulterino rejecto, anno Domini 1058 pontifex maximus renuntiatus, Nicolai II nomen accepit. Post electionem vero, cum Hildebrando, cardinalibus, clero ac nobilibus Romanis, et armata manu Romam versus iter capiens, Sutrii substitit; ibi Tusciae, Longobardiæ et Campaniæ episcopis congregatis, astantibus principibus aulae imperialis aliisque primatibus Italiæ proceribus, synodum celebravit, in qua, abdicato apostata Benedicto, et perpetuo exsilio Velitras relegato, ipse denuo in apostolica sede confirmatus, Romam postea cum Gothefrido ducis copiis sub finem Decembris profectus, Benedictum cum omni ejus factione pontificatu et Urbe expulit; a Romanis, clero et populo horribilissime susceptus apud basilicam S. Petri ac episcopis cardinalibus die Dominico ad III Nonas Jan., ieviente anno Domini 1059, apostolicam sedem, imperatore Henrico IV Augusto, annos II, menses VI et diem I tenuit. Benedictum autem et ejus studiosos anathemate notavit. Qui haud longe post IX Kal. Febr., quorundam cardinalium interventu, eundem ad se pontificalibus vestibus exutum accedentem, et præteritorum veniam suppliciter petentem absolvit, atque apud ecclesiam S. Mariæ Majoris, sacerdotio privatum manere jussit; ubi paulo post, V Idus Aprilis, animi dolore confectus, ibidem moritur et sepelitur. Cæterum Gothefrido duce, cujus armis Urhem, pulso Benedicto, Nicolaus in potestatem suam redelegerat, in Tusciam abeunte, cum ob Benedicti defectionem, a Romanis proceribus, in quorum potestate Urbis erat, vexaretur, in Picenum profectus est, et Auxini cum abbate Casinate Desiderio tandiu mansit, quoad Romæ res ab Hildebrando componerentur. Quam ad urbem paschalibus festis pontifex reversus, pro bene curati negotii præmio, Romæ æ sedis archidiaconum in locum Mantii creavit. Cujus suasu post Pascha Laterani generale concilium convocavit, in quo inter cætera legem tulit quæ distinctione xxii apud Gratianum legitur, Ecclesiæ Romanæ saluberrimam, cujus ejusmodi summa est: « Si quis pecunia, vel gratia humana, aut populi militaris tumultu, sine concordia et canonica cardinalium et cleri electione fuerit in Petri sede collocatus, is non apostolicus, sed apostaticus vocetur, liceatque cardinalibus, clericis et religiosis, illum ut pælonem anathematizare, et quovis humano auxilio a sede apostolica expellere, et quovis in loco, si in urbe fieri non potuerit, catholicos hujusce rei causa congregare. » Hæc Gratianus. Hoc ideo decrevit ut schismatibus quæ in po-

sterum oriri possent obviam iret, occasione a Benedicti seditione accepta. In eadem synodo Berengarius Turonensis, decanus Sancti Mauricii, Andegavensis, hæresiarcha, secundo damnatus est, et ab errore revocatus, cujus palinodiam, quæ in Decretis dist. II *De consecratione* exstat, incipitque: *Ego Berengarius, Humbertus cardinalis Silvæ Candidæ* edidit. Qua Berengarius publice confessus est in Eucharistiæ sacramento verum esse corpus et sanguinem Christi, non tanquam in signo seu figura, ut antea docuerat. Contra quem errorem instante et urgente Nicolao papa, Albericus monachus Casinas, et ex abbate Condoniense Cartuariensis archiepiscopus, diaconus cardinalis, vir doctissimus voce et scripto; et Lanfrancus, homo hac ætate eruditissimus, elegantissimo libro disputarunt. Magnum postea doctissimorum hominum agmen hanc pestiferam hæresim confutavit. Quorum præcipui Adelmarius grammaticus, ex clerico Leodiensi episcopus Brixianus, Fulberti Carnotensis præsulis aliquando auditor, et ejusdem hæresiarchæ condiscipulus, Guitmundus, ex monacho cœnobii de Cruce S. Leufredi Aversanus episcopus; Hildebertus, episcopus Cenomanensis primum, deinde Turonensis archiepiscopus, et Algerus Germanus, ex scholastico monachus Corbeiensis in Saxonia, fuere. Hanc sententiam nostro sæculo denuo excitavit infelix Zuinglius, qui meritis nunc sceleris pœnas luit.

Nicolaus II, pertæsus bellum quod Normandi perpetuo cum Ecclesia gerebant, et a Romanis proceribus vexatus, tum primum pacem certis conditionibus et mutuis auxiliis cum Normandis facere constituit, et eam ultro per legatos tentavit, ut ipsorum opibus et præsidio adjutus, nobiles Romanos sibi adversantes compesceret, et Ecclesiæ oppida ab iis occupata recuperaret. Robertus Guiscardus, qui tunc utramque Siciliam obtinebat, pontificis voluntate cognita, quo imperium suum principum foederibus et legitimis titulis stabiliret, et perpetuum ad id tempus Romanorum pontificum contra gentem suam odium exstingueret, eo in Apuliam accito, pacis conditiones cupide amplexatus est, quæ ejusmodi fuere: ut Normandi anathemate solverentur, ipsorum princeps Robertus Guiscardus beneficiario jure cuncta quæ in Italia possidebat, a Romana Ecclesia tenere agnosceret susciperetque cum pensione annua duodecim denariorum pro singulis jugeribus bovm persolvenda; utque Romanus pontifex, universam eam gentem ejusque jura tueretur, et vicissim Normandorum principes iurejurando se fidem Romanis pontificibus servaturos, et ipsorum ditionem defensuros promitteret, ab iis vexilli susceptione principatus, eorum insignia, titulos et jura susciperent, et quæ Romanæ sedi eriperant, restituerent, præsertim Trojam, et Beneventum. His confectis, pontifex Robertum Guiscardum et Normandos ad apostolicæ sedis gratiam et communionem suscipiens, Robertum jam vetricalem Ecclesiæ factum Campaniæ, Calabriae

et Apuliæ ducem, et Siciliæ comitem creavit. Hæc acta sunt anno Christi 1060, eo loco ubi nunc Aquila condita est, inter Amiternum et Furconem, et in concilio Melphi congregato confirmata. His pactionibus initis, pontifex, ut ditionem ecclesiasticam recipere, magna ex fœderis formula, a Roberto exercitu accepto, ad Urbem rediit; Prænestinos, Tusculanos, Tiburtinos et Nomentanos, Romanæ Ecclesiæ rebellis, in ditionem accepit, Tiburique trajecto, Galeriam et alia Gerardi comitis oppida diripuit. Castella omnia Sutrium usque expugnavit, et ecclesiasticam ditionem tutissimam reddidit. Petrum Damiani, episco-

pum Ostiensem, Mediolanum bellis civilibus laborans legatum misit, qui, seditione sedata, in Urbem ad synodum, quam quartam pontifex indixerat, rediit. Cui ex omni Italia frequentes episcopi interfuere; in qua contra Simoniacos et incontinentes sacerdotes aliquot decreta edita. Paulo post synodum Nicolaus, vir in omni vita præbatissimus, Florentiam profectus, ibidem v. Nonas Julij, anno Domini 1061, optime de Romana Ecclesia meritis, pie quievit, in cathedrali ecclesia sepultus.

Vacavit tunc sedes, propter subsecutum schisma, menses II, dies XXVI.

NOTITIA DIPLOMATICA

(Jaffé, *Regesta pontificum Romanorum*, 384.)

† In bullis anni 1060 Nicolaus, Florentinum calculum secutus, initium anni a die 25 m. Martii cœpit, ut quæ ante eum diem scriptæ sunt, cœ annum Inc. Dom. 1059 præbeant (14, 15, 16, 17, 18).

Sententiam in bullis ejus reperimus hanc: CONFIRMA HOC, DEUS, QUOD OPERATUS ES IN NOBIS (17, 20, 21, 24).

Testes subscripserunt:

Bonifacius, Albanensis episcopus (14, 15, 17).

Bonifacius, Gabinensis episcopus (15).

Petrus, Gabinensis episcopus (20).

Petrus, Lavicanensis episcopus (14, 17).

Petrus, dictus Ostiensis episcopus (al., *peccator monachus*) (14, 14, 15, 17, 20).

Joannes, Portuensis episcopus (14, 15, 17, 20).

Bruro, Prænestinus episcopus (14, 15, 17, 20).

Humbertus, dictus S. Ecclesiæ Silvæ-Candidæ episcopus (11).

Desiderius, presbyter cardinalis R. E. ex tit. S. Cæciliæ (15, 17).

Stephanus, tit. S. Chrysogoni (15, 20).

Hildebrandus S. R. E. archidiaconus (14, 15, 16, 17).

Scriptæ bullæ sunt per manum

Octaviani scriniarii et notarii S. R. E. [al., *sacri palatii*] (1, 2, 3, 4, 19, 21, 22, 31, 33).

Crescentii notarii et scriniarii S. R. E. (6).

Joannis scriniarii S. R. E. (20).

Datæ per manum

Humberti dicti episcopi Ecclesiæ Silvæ-Candidæ et bibliothecarii S. R. et apost. sed. (1, 2, 3, 4, 3, 6, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22, 31, 32, 33, 34).

Bernardi episcopi S. Ecclesiæ (35).

NICOLAI II PAPÆ EPISTOLÆ ET DIPLOMATA.

I.

Nicolaus II papa confirmat bona et possessiones monasterii Sancti Petri Perusini.

(Anno 1059.)

[MARGARINI, *Bullar. Casin.* II, 92, ex archivio monasterii S. Petri de Perusio in capsula privilegiorum, n. 10.]

NICOLAUS episcopus servus servorum Dei, venerabili monasterio Beati Petri apostoli, sito extra, imo et juxta civitatem Perusinam, in loco qui dicitur Caprarius, et per illud Bonizoni abbati, ejusque successoribus ibidem juste et regulariter promovendis in perpetuum.

Cum universalis sancta mater Ecclesia per gloriosos apostolorum principes, Petrum scilicet piscatorem hominum, et Paulum doctorem gentium, præcætris cooperatoribus maxime sit coadunata, in-

stituta et dilatata, convenit eis confirmari et detineri omnia quæ suæ ditionis ac potestatis reperiuntur specialia. Quapropter ad hujus supradicti monasterii honorem semper augendum, et nunquam minuum, concedimus per hoc apostolicæ defensionis privilegium, ut teneat et habeat pacifice et quiete quod hactenus tenuit et habuit, et nunc tenet et habet, scilicet cellas suas et ecclesias, cortes suas ac plebes, fundos etiam, et casales, plebem scilicet Sancti Constantii, et Sancti Rufini, et Sancti Martini, ecclesiam Sanctæ Mariæ in Agellione, cum suis pertinentiis; curtem de Casale, et curtem Sancti Justini; curtem de Petroniano; ecclesiam Sancti Andreæ de Aliano, cum sua pertinentia; ecclesiamque Sanctæ Mariæ in Petithiano, et ecclesiam Sancti Clementis, atque medietatem ecclesiæ Sancti Donati